Einladung

zu

der öffentlichen Prüfung

der Zöglinge

des

Königlichen Dom-Gymnasiums

am 22. und 23. September 1834

von

Dr. F. K. H. Maaß

Voransteht

SPECIMEN QUAESTIONUM TULLIANARUM

de Cic. orat. p. Caecina

AUCTORE

C. A. JORDAN,

PHILOS. DR. ET AA. LL. MAG.

Halberstadt,

bei C. Schönrock.

1834.

Quaestionum Tullianarum specimen.

Constat inter omnes atque est exploratum magnam partem orationum Tullianarum in eorum esse numero antiquitatis monumentorum, quae nec superiorum saeculorum summa assiduitas, nec nostri aevi subtilior doctrina aut emendando et perpoliendo in pristinum splendorem restituit, aut interpretando et explanando ex tenebris, quibus quasi offusa sunt, in lucem evocavit. Atque inter has quidem orationes ea quam maxime numeranda videtur, quae pro A. Caecina est habita, quippe quae in causa versetur privata, eaque tam tenui et inopi, ut legentium animos nec causae gravitate alliciat, nec iucunda voluptate oblectet. Tota enim causa, (ut Cicero ipse narrat Orat. 29, 102.) de verbis interdicti est, res involutae definiendo explicantur, ius civile laudatur, verba ambigua distinguuntur; quae causa erat, ut antiquis iam temporibus taedium moveret legentibus immensum hoc de formula volumen. Cf. Tacit. dialog. de causis corrupt. eloquent. cap. 20. Neque igitur mirum videri potest, si recentioribus quoque temporibus haec oratio a philologis neglecta est plane et abiecta, quamquam permultis locis diligenti manu emendatrice indiget, quoniam hic illic ita est corrupta ac foedis maculis inquinata, ut ne novissima quidem ac praestantissima editio Orelliana eam satis perpurgatam exhibeat. Sed quum iam in emendanda oratione multum sit laboris ac difficultatis, tum non minus negotii est in iuris rationibus explicandis totiusque causae statu exponendo; quo factum est, ut nostra memoria non tam philologorum quam iuris consultorum potius industria multum ad hanc orationem explicandam contulerit, quandoquidem ad causae rationem plane perspiciendam non vulgari opus est iuris civilis Romani scientia, qua multi philologorum et antea fuerunt et adhuc sunt destituti. — Quae quum ita sint, iam per aliquod tempus, quantum ad privata studia superest otii, in iis rebus perscrutandis, quae ad hanc orationem et emendandam et explicandam spectant, consumpsi, eamque, sicubi omnia parata et explorataque habebo, commentariis tum criticis tum exegeticis exstructam edere apud animum constitui. Sed quum interea haec mihi sit oblata scribendi opportunitas, nonnulla ex iis, quae in adversariis conscripta habeo, depromam, atque doctorum et harum rerum intelligentium existimatorum iudicio subiiciam. Ac primum quidem de tota A. Caecinae causa, iusta an iniusta fuerit, disputabo, deinde de locis nonnullis emendandis disseram.

Quum in aliis, quas Cicero egit, causis diiudicare sit difficillimum, iustae an iniustae causae patronus exstiterit, tum in hac, quam in A. Caecinae causa habuit, oratione tam paria fere in utraque parte rationum sunt momenta, ut lectoris sententia quo inclinare debeat, dubium et incertum videri possit; tanta est enim Ciceronis in causis agendis sollertia, tanta in rebus probandis aut improbandis versutia, tanta in favore audientium aut legentium conciliando calliditas, ut animum vix cohibeas, quo minus argumentis ac ratiocinationibus, quibus utitur, assentiendum putes. Huc accedit, quod de L. Pisonis defensione praeter ea, quae ex ipsa Ciceronis oratione cognoscimus, nihil plane nobis innotuit, ita ut nesciamus, utrum Cicero omnes, quas adversarius ad causam Caecinae improbandam attulerat rationes, refutaverit, an eas tantum, quae facilius redargui ac refelli posse viderentur, protulerit. Magnopere est enim dolendum, quod nobis non contigit, ut orationes eorum, qui in reis vel accusandis vel defendendis Ciceronis fuerunt

adversarii, ad nostram aetatem pervenerint, aut certe a grammaticis aut interpretibus veteribus, quae causarum fuerit conditio ac natura, paullo accuratius sit expositum. Nam praeter Asconium et Pseudo-Asconium nihil fere extat, quod ad illustrandas Ciceronis orationes magni sit momenti ac ponderis; oratorum vero Ciceroni aequalium memoria tantum superest, orationum paene nihil. Et sane multi horum tam ignobiles erant et obscuri, ut litterarum nullo detrimento facile iis careamus; praestantiorum vero et nobilium oratorum, Hortensii, Catonis, Sulpicii orationes fortunae iniquitas nobis eripuit. Idem accidit in hac nostra causa; interierunt enim omnes L. Calpurnii Pisonis orationes, oratoris statarii et sermonis pleni, (ut narrat Cicero in Bruto 68, 239.) qui minime quidem tardus in excogitando, verumtamen vultu et simulatione multo etiam acutior, quam erat, videbatur. Neque ullum veterum scriptorum de nostra oratione et de causa, quam defendit orator, habemus testimonium, nisi unum illud Ciceronis Orat. 29, 102. „Tota mihi causa pro Caecina de verbis interdicti fuit; res involutas definiendo explicavimus, ius civile laudavimus, verba ambigua distinximus;" quo quidem testimonio nihil proficimus, nisi quis Ciceronem hanc orationem illo loco iccirco commemorasse arbitratur, ut impeditam quidem ac difficilem sed tamen iustam ac probam causam a se esse defensam significaret. — Praeterea de huius causae natura iudicare ideo quoque anceps est atque lubricum, quod recuperatores iam bis sibi non liquere ampliusque esse cognoscendum pronuntiarant; qua ampliatione colligere licet causam fuisse tam impeditam ac difficilem, ut, utrum absolvendus an damnandus esset Aebutius, maximopere dubitandum videretur. Denique accedit ea, quae in ipso iure est posita difficultas. Quum enim praeter id, quod Cicero de interdicto de vi in nostra oratione et in Tulliana dicit, nihil habeamus, quo, quid Ciceronis aetate iuris in ea re fuerit, intelligere possimus: reusne an actor iustam egerit causam decernere est ambiguum. Nam quae apud Gaium et in Digestis de hoc interdicto sunt tradita, partim, num Ciceronis aevo valuerint, incertum est, partim postea esse constituta apertum. His igitur rebus factum est, ut viri docti in duas sententias abirent; Hotomannus enim et Savinius iniustam causam a Cicerone esse defensam existimant, ceteri omnes Ciceronis interpretes, Cras in dissertatione de iurisprud. Cicer. Lugd. Batav. 1769. et Huschkius in Analectt. litt. pag. 164. iustam fuisse A. Caecinae causam statuunt. Quarum sententiarum utra sit verior, quantum fieri potest diligentissime inquiram. Quod ut via ac ratione fiat, quae qualesque fuerint rationes atque argumenta, quibus Piso accusationem suam instruxerit, est explorandum.

Primum igitur argumentum, quod Piso in medium profert, ut fundum, de quo est controversia, Aebutii esse demonstret, illud est, quod legitur §. 16: „Adest ad tabulam. Licetur Aebutius; deterrentur emptores multi partim gratia Caesenniae, partim etiam pretio. Fundus addicitur Aebutio; pecuniam argentario promittit Aebutius; quo testimonio nunc vir optimus utitur, sibi emptum esse." Coll. §. 17. „Se autem habere argentariorum tabulas, in quibus sibi expensa pecunia lata sit, acceptaque relata." Et sane, si ita res se haberet, ut Aebutius suo nomine fundum emisset, ipse argentario pecuniam de suo solvisset, nomenque in tabulas esset relatum: quin sibi emptum esse illum fundum suo iure contenderet, nullo pacto posset dubitari. Sed iam, quid Cicero huic argumentationi ab adversario institutae opponat, videamus. Atque is quidem mandasse Caesenniam Aebutio, ut sibi emeret illum fundum, neque quemquam illo tempore fuisse, qui dubitaret, quin fundus emeretur Caesenniae, affirmat, (Cf. §. 15. 16. 19.) atque argumentis, ut arbitror, satis luculentis ostendit. Etenim Aebutium Caesenniae negotia ac controversias suscepisse eo colligitur, quod mulier ei, qui neque ipsius neque maritorum esset propinquus, testamento sextulam adspersit hereditatis. Fuit autem Aebutius homo callidus ac versutus ex eo genere, qui, quum in familiaritatem senum aut viduarum se insinuassent, eorumque negotia agenda susciperent, quaestum ex eorum solitudine atque imbecillitate facere et testamentis eorum certe aliqua ex parte heredes fore aut legatum esse accepturos sperarent. Neque vero quicquam proclivius fuit, quam mulieribus imponere, quippe quae iuris ac legum parum peritae atque natura debiles et infirmae aliorum praesertim officiosorum hominum laqueis facile deciperentur. Huic igitur Aebutio auctione hereditaria instituta

Caesennia, ut sibi illum, de quo agitur, fundum emeret, mandarat, quia dotali fundo erat finitimus, eique ex partitione hereditatis magna pecuniae pars debebatur. Verum homo callidus tabulas, in quibus pecuniam argentario solvendam a Caesennia esse numeratam erat perscriptum, averterat, ne, si proferrentur, ipse causa caderet. Nam hoc esse fictum a Cicerone ac simulatum vix arbitror, quoniam ita loquitur, tamquam ea de re nulla sit controversia; neque tam audacter Ciceronem esse mentitum, ut res prorsus falsas et ficticias narraret, credibile est, quoniam, in calumniae crimen ne incurreret, erat metuendum. Aebutius vero tabulis illis aversis facile se rem eo esse deducturum, ut fundus sibi addiceretur, sperabat, quandoquidem non is fundi emptor existimabatur, qui pecuniam solverat, sed is, cuius nomine emptus erat fundus, siquidem ei esset traditus. Cf. Paullus Sentt. receptt. II. tit 17. l. 15. Tabulae autem argentariorum, nisi alia ad essent graviora ac firmiora testimonia, ratae habebantur, ita ut is, qui emptor fundi in iis esset scriptus, fundi dominus haberetur.

Alterum, in quo Aebutius nititur, argumentum, in eo versatur, quod A. Caecinam propter incommodum Volaterranorum calamitatemque civilem deteriore iure esse dicit, quam reliquos cives. Cf. §. 18. Sulla enim, ut aliis Italiae municipiis, sic Volaterris quoque biennium a se obsessis civitatem ademerat; (cf. Pseudo-Cicer. pro domo §. 79.) qua ademta Volaterrani commercii iure destituti a civibus hereditates adire non poterant. At huic rei satis copiose respondet Cicero cap. 33; primum eo, quod sicut ceteris legibus, sic huic quoque legi Corneliae tralaticium illud sit adscriptum: Si quid ius non est rogarier, eius ea lege nihil rogatum esto; numquam autem civi Romano civitatem adimi posse, sed si quis civitate privetur, hoc ita tantum fieri posse, ut ipse eam deponere videatur. Cf. pro domo. §. 77—82. pro Caio Rabirio §. 11. Caes. apud Sallust. Catil. 51, 40. Nam si Romani reum capitis damnatum civitate privare vellent, aqua et igni ei interdicebant; qua interdictione, nisi aëre solo frui ac tegi vellet, civitatem Romanam deserere et in aliam migrare cogebatur, quoniam nemo eum tecto recipiebat, nec aqua aut igni ceterisque rebus, quibus vita continetur, iuvabat. Similiter civitatem Romanam ii amittebant, qui aut ad poenam capitis effugiendam sua sponte in exilium irent, aut alterius civitatis ius acciperent, (quandoquidem duarum civitatum civis ex legibus nemo esse poterat, cf. pro Ballo §. 30. Cornel. Nep. Attic. 3.) aut in colonias Latinas abirent. (cf. pro domo §. 78.) Eos vero, qui militiam detrectarent, aut censum subterfugerent, quum venderet populus, non esse liberos iudicabat, quod ea officia ac munera, quae civi Romano propria essent ac primaria, sustinere nollent. Ut vero lege Cornelia, qua municipia civitate spoliabantur, nihil contra Caecinae causam effici posse demonstret, Cicero non solum illud commemorat, legem illam non modo contra ius et fas esse latam, quum potentia praevaleret Sulla ac suo arbitrio res Romanas administraret, sed etiam exemplum satis perspicuum Arretinae mulieris proponit, quam ipse Sulla vivo contra Cottam defenderat. Quum enim iis, qui non essent in civium numero, lege agere non liceret, (cf. Huschk. Anall. litt. pag. 216.) Arretini quoque, quippe quibus Sulla civitatem ademisset, sacramento agere non poterant; erat enim actio sacramento una ex quinque legis actionibus, quibus solis civibus Romanis ius suum persequi licebat. Cf. Gaius Institt. IV, 13. seqq. Sed quum decemviri Sulla vivo iustum esse illud sacramentum iudicassent, Caecinam quoque, qui in simili esset causa, ius suum iudicio persequi posse apertum erat. Denique vero Sulla hanc legem ita tulit, ut nexa atque hereditates municipiorum non tolleret, quoniam eo iure municipes esse voluit, quo essent Ariminenses, qui a civibus Romanis hereditates accipere poterant. Cf. Orat. pro domo. §. 79. „Populus Romanus L. Sulla dictatore ferente comitiis centuriatis municipiis civitatem ademit; ademit iisdem agros. De agris ratum est; fuit enim populi potestas; de civitate ne tam diu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt. Hanc vero Volaterranis, quum etiamtum erant in armis, L. Sulla victor republica recuperata comitiis centuriatis civitatem eripere non potuit, hodieque Volaterrani non modo cives, sed etiam optimi cives fruuntur nobiscum simul hac civitate.“ Hisce igitur argumentis L. Piso, qui Caecinam Caesenniae hereditatem adire posse negaverat, satis superque refutatus videtur. Nam Ciceronem ea, quae de lege Cornelia, de causa Arretinae mulieris, de iure Ariminensium dicit, tantum ut causae serviret, finxisse

atque ementitum esse propterea suspicari non licet, quod haec omnia iis, qui iudicabant aut adstabant, notissima esse debebant, et orator rebus falsis et ficticiis prolatis suae defensioni omnem fidem derogasset. Hoc autem crimen de deteriore iure civitatis postea tandem, quum nihil litium terrore a Caecina abradere posset adversarius, esse excogitatum eo quoque perspicitur, quod Aebutius initio arbitrum familiae herciscundae postulaverat. Quid enim? cur arbitrum postulavit, si Caecinam heredem Caesenniae esse plane non posse arbitrabatur? Nonne homo lucri cupidus ac versutus statim post mortem Caesenniae Caecinam, si modo iure fieri posset, ab hereditate exclusisset, ut ipse in eam iure accrescendi cum M. Fulcinio irrueret? Cf. Ulpian. Digg. 37. tit. 1. l. 3. Paullus ibid. l. 6. Atque praeterea ne illud quidem satis intelligi potest, cur L. Piso hanc rem ad causam suam stabiliendam commemoraverit; nam quum in hoc iudicio recuperatorio nihil aliud ageretur, quam ut de sponsione facta iudicaretur: de iure hereditatis quaerere prorsus alienum erat, quoniam de hac re recuperatores iudicare non debebant, (cf. §. 102.) sed de illa tantum quaestione, quae sola in iudicium venerat: num Caecina ab Aebutio ex interdicto praetoris restitutus esset, necne. Nihil igitur aliud agebat L. Piso, quam ut Caecinae causam argumentis qualibuscunque atque a causa et iudicio remotis plane ac seiunctis infirmaret.

Tertium, quod adversarius affert argumentum, hoc est: usum tantum et fructum fundi testamento mariti habuisse Caesenniam, Aebutium autem emptione dominum fundi esse factum. Cf. §. 20. Nunc iam dicit, quod ad rem pertineat; nam si demonstrari poterat, Caesenniam non dominium fundi, sed usum tantum et fructum habuisse, iure Aebutii erat fundus. Qua in re quum cardo totius causae vertatur, diligentius in eam est inquirendum. Atque hoc quidem loco imprimis contra Savinium, virum perillustrem, qui in libro praestantissimo de iure possessionis conscripto iniustam causam a Cicerone esse defensam contendit, disputandum videtur. Statuit autem Savinius l. l. pag. 462. seq. edit. quint., siquis interdicto de vi uti vellet, eo tempore, quum deiiceretur, possideret sive civiliter sive naturaliter necesse fuisse, quam sententiam testimoniis ex Digestorum libris deprompti firmare studet; (cf. Digg. 43. tit. 16. l. 1. §. 9. 10. 23. 41. tit. 3. l. 4. §. 28.) constituere vero, quid Ciceronis aetate hac in re iuris fuerit, difficilius quidem esse concedit, praesertim quum orator (cf. §. 90. 94.) interdictum de vi aramata ei quoque competivisse affirmet, qui non possederit, quum deiiceretur; sed tamen spreto Ciceronis tamquam versuti advocati testimonio in eam sententiam defertur, ut hoc quoque tempore possessione opus fuisse existimet, si quis illo interdicto experiri vellet. Possedisse enim Caecinam iccirco negat Savinius, quod Cicero eam quaestionem, possederitne Caecina, necne, quae omnium esse debebat gravissima, ultimo loco proposuerit, et breviter tantum ac quasi praeteriens commemoraverit; hoc autem ideo esse factum, ut quaestionem illam nullius fere esse momenti et a causa alienam significaret, mentesque iudicum ab ea averteret. At vero hac in re dupliciter errasse mihi videtur vir iuris peritissimus; nam quod Cicero hanc quaestionem in fine orationis instituit, consulto fecit. Etenim hoc ipsum argumentum, possedisse Caecinam, quo ne opus quidem esse putabat, tamen iudicibus ad causam suam firmius stabiliendam in fine orationis denuo inculcare voluit *); tetigerat enim iam supra (§. 16. 17.) eandem rem, ubi mandatu Caesenniae fundum ab Aebutio esse emptum ostenderat. Quum vero quod mandatu alicuius emebatur, mandantis esset, Caesenniam atque eius heredem Caecinam iure possidere erat perspicuum. Deinde vero hoc in iudicium plane non venerat, possedissetne Caecina necne; multo etiam minus quaerebatur, Caecinae fundus esset necne; (§. 104.) sed, id quod identidem dicit Cicero, (§. 23. 27. 94. 102. 104.) de sponsione sola erat iudicandum, quae in haec verba erat facta: Spondesne N. N. nummos dare, ni ex decreto praetoris restituisti? Nam hanc interdicti de vi armata vim fuisse contendo, ut is, qui deiecisset alterum vi armatis hominibus, sive is

*) Quintil. Instt. Oratt. VII, 5, 3. „Quoties tamen poterimus, efficiendum est, ut iudex de re quoque bene sentiat; sic enim iuri nostro libentius indulgebit; ut in sponsionibus, quae ex interdictis fiunt, etiam si non proprietatis est quaestio, sed tantum possessionis; tamen non solum possedisse nos, sed etiam nostrum possedisse docere oportebit."

iure possedisset, sive iniuria, restituere deberet; etenim volebant veteres Romani hoc interdicto impedire, ne quis potius vi quam iure ac iudicio ius suum tueretur ac persequeretur. Quamobrem interdictum de vi armata liberto in patronum, liberis in parentes dabatur, non item alterum illud de vi quotidiana; (cf. Digg. 43, tit. 16. l. 1. §. 43.) etenim qui libertum aut liberos vi armata de possessione depelleret, facinus committere videbatur tam atrox, ut pietatis officia erga eum non esse servanda putarentur; atque ut tanta audacia et temeritas semper vindicari posset, interdictum de vi armata perpetuum fuit, quum illud quotidianum esset annuum. Cf. Cic. Epp. ad Famm. XV, 16. Assentior igitur Huschkio, (Analectt. litt. pag. 164.) cuius sententiam huc transcribere iuvat. „Puto „illa aetate, inquit, actor ut possideret tum, quum deiiceretur, in interdicto de vi armata „necesse non fuisse. Quum enim hoc interdictum ad exemplum illius, quod de vi est, „compositum sit, et iccirco introductum, ut vis armata quibusdam auxiliis, quae ei, qui „vi tantum deiecerat, praesto erant, orbaretur, necesse est, ut, quem ad modum alterius „defensionis eiiciendae certum fuisse consilium omnes concedant, etiam cur priorem hic „omitterent, causam habuisse praetores existimemus, eaque non video quae alia esse „potuerit, quam ut is quoque, qui non possedisset, si armis detrusus esset, restitueretur. „Ergo et pro Caecina iustam causam defendisse et hic (pro Tullio §. 46.) apto exemplo „rem, de qua ageret, illustrasse arbitror. Ceterum hoc de eo iure, quod Ciceronis „tempore valebat, censeo; non etiam de posteriore, de quo fere inclino in illam sententiam, „postea creditum esse, neminem nisi qui possideret, deiici posse, ideoque etiam in inter„dicto de vi armata, qui deiectus esset, ut possedisset requiri." Et sane ita res se habet. Cf. Cuiac. in Paulli sententt. receptt. V. tit. 6. §. 4. p. 456. ed. Schulting. Quum igitur Aebutius Caecinam, qui cum advocatis ad deductionem moribus faciendam venerat, vi armatis hominibus de fundo deiecisset, ut restitueretur Caecina, possedisse eum non opus erat demonstrare. Cf. §. 104. Sed ut Caecinam iure hereditatis possedisse credam, non solum iis argumentis, quae iam supra exposui, sed eo quoque moveor, quod Aebutius, quum iure ac iudicio possessionem suam, si modo esset iusta ac legitima, retinere posset, tamen vi atque armis eam tueri maluit. Quid enim? Cur armatis hominibus prohibuit ac deiecit Caecinam non ex eo solum fundo, de quo erat controversia, sed etiam de antiquo illo dotali Caesenniae, de quo plane non ambigebatur? Nonne ius suum multo faciliore ac commodiore via retinere poterat, si Caecina moribus deducto suum esse fundum sibique sua pecunia emptum in iudicio probaret? Eratne hoc sceleris atque audaciae homines inermes, qui ex conventu in fundum veniebant, armatis hominibus propellere? An hominem callidum et versutum illud non intellexisse putabimus, Caecinam, quum vi armata esset de fundo detrusus, tribus modis ipsum accusare potuisse, aut de possessione restituenda, aut iniuriarum, aut de vi armatis hominibus? Sed quum nulla alia ratione, nisi audacia atque armorum terrore, fundum illum se posse retinere perspiceret, in alia omnia abire, quam iure et iudicio fundum amittere, maluit.

Neque vero ad nostram sententiam confirmandam illud est negligendum, quod Cicero ab iis, quibus in aliis orationibus, quum minus iustas causas defendat, uti solet artificiis supplicationis, benevolentiae conciliandae, misericordiae movendae, hac in oratione plane abstinet. Etenim quum causae suae confidens atque in simplici enarratione spem collocans recuperatoribus se esse persuasurum putaret ad ipsos et ad causam omnium civium Romanorum pertinere atque iuri ac legibus esse consentaneum, ut Caecina sponsione vinceret, atque in suam possessionem restitueretur, ab illis deteriorum causarum subsidiis abstinuit.

Sed iam redeamus ad ea, quae Savinius ad sententiam suam comprobandam attulit argumenta. Arbitratur enim (l. l. p. 463. not. 4.) ex hisce imprimis verbis: „Caesenniam possedisse propter usum fructum non negas" Caecinam non possedisse apparere, atque haec verba de iuris quasi-possessione intelligenda esse, ita ut Cicero non de vera ac plena sed de illa iuris quasi-possessione, quam habet usufructuarius, loqui putandus sit; omnia vero, quae orator ex illa sententia probare studeat, ficticia et patronorum more esse composita censet, neque Ciceronis aetate alia ac postea obtinuisse iura opus esse statuere. At vero non videtur Savinius animum advertisse ad eam, quam instituit

orator argumentandi rationem; etenim quum Caesenniae mandatu Aebutium fundum emisse supra (§. 16. seq.) quidem ostendisset, neque tamen, quoniam tabulas averterat Aebutius, satis firmis testimoniis probare posset: hoc loco ex iis, quae adversarius concesserat, argumentationem conficit. Concesserat autem Aebutius hoc tantum, propter usum fructum possedisse Caesenniam; qua mortua usum fructum non ad heredem eius Caecinam, sed ad se, tamquam dominum, pertinere. Sed quum Cicero Caesenniam non solum propter usum fructum, sed etiam ex emptione illa fundum possedisse probasset, aliud praeterea argumentum ex Aebutii agendi oratione depromptum affert. Dicit enim Aebutii fuisse mortua Caesennia fundum vindicare, neque concedere, ut colonus esset in fundo ex eadem conductione, qua, quum Caesennia viveret, fuisset, neque ut Caecina praedia circuiret, et rationes a colono acciperet. Quod quum Aebutius non statim post mortem Caesenniae fecisset, sed tum demum, quum vi Caecinam, qui, ut heres, interea in veteris locationis iura concesserat, fundo illo privare studebat: quin Caecina esset dominus ac possessor et iniuria ab Aebutio deiectus, dubium esse non poterat. Scilicet homo callidus ac versutus, si ipse sibi suaque pecunia fundum emisset, certe vix mortua Caesennia in fundum irruisset, eumque sibique vindicasset. *)

Quod denique Savinius ex oratione pro Tullio §. 44. ad suam sententiam firmandam excitavit testimonium, (l. l. p. 465. not. a.) potius ad eam infirmandam valere apertum est; non enim animadvertit vir doctissimus, aut, ne suam sententiam infirmaret, noluit animadvertere, vocabulum quod ad verba interdicti necessario pertinere: „quum ille possideret, et hoc amplius, quod nec vi, nec clam, nec precario possideret." Cf. pro Caec. §. 27. „Etiam hoc amplius, quum seqq." **) Atque inde intelligitur, Ciceronem iure suo contendisse, non opus esse, ut is, qui armis deiiceretur, in possessione esset, quod iam probe perspexit Graevius. (ad orat. pro Caecina 7, 20. p. 71. ed. Garaton.) Voluerunt enim Romani, ut is, qui armis uteretur, nullo iuris frueretur beneficio, ut qui ipse omnia iura turbaret.

Nunc iam ad ea, quae L. Piso ad suam causam stabiliendam exposuit argumenta, redire licet. Et horum quidem argumentorum illud est proximum, quod in verborum calumnia est positum. §. 31. „Non deieci, sed obstiti." §. 35. „Deiectus non est Caecina, quia non in fundo fuit." §. 38. 49. 64. 66. „Eieci, non deieci;" quam verborum calumniam et cavillationem Cicero egregie refutat, et inde §. 49. sententiam et voluntatem legum esse sequendam, non in verbis esse haerendum atque delitescendum, multis ac firmis argumentis ostendit. Atque ut planissime, quam levis sit atque inanis illa argumentandi et defendendi ratio, declaret, simili quodam cavillandi genere in iis verbis, in quae sponsio erat facta, utitur. Explicat praeterea, idque paene nimis copiose, verba interdicti, atque nihil interesse demonstrat, num quis ingressus an ingrediens repellatur (§. 39.), num ex loco an a loco deiiciatur, quoniam utraque notio in particula unde insit. (§. 86. seqq.) In hoc autem argumentandi genere, quod in verbis accurate definiendis et distinguendis cernitur, eo diutius versatur, quo magis adversarius eadem disputandi ratione ius suum defendere studuerat. ***)

Illud denique argumentum, quo Piso demonstrare conabatur, Caecinam ne uti quidem posse illo interdicto, quia vis non esset facta, quum nemo sauciatus aut occisus esset, Cicero iuris et legum constitutionibus prorsus refellit. Atque hoc ipsum argumentum, sicut pleraque alia, eiusmodi est, ut adversarius, si iustam causam defendisset, certe eo abstinuisset; nam si iure possidebat Aebutius, nihil aliud nisi hoc ipsum Pisoni erat pro-

---

*) Quod Savinius (l. l. p. 464. not. 4.) rationes illas, quas a colono acceperat Caecina, ad ea, quae colonus Caecinae, heredi Caesenniae, propter usum fructum debebat, pertinuisse dicit, in sola coniectura nititur.

**) Vide Huschkium in Anall. litt. p. 164. seq., qui Savinium verba interdicti male et calumniose esse interpretatum vere existimat.

***) Haec pars orationis quamquam ad consilium oratoris egregie est conformata, tamen propter rerum naturam sententiarumque exiles argutias paullo minus lectorem delectat, id quod significare videtur Tacitus dialog. de oratt. 20, 1. „Quis de exceptione et formula perpetietur illa immensa volumina, quae pro M. Tullio et A. Caecina legimus!"

bandum; qua defensione hoc certe assecutus esset, ut Aebutius fundum retineret, licet poenas propter vim armatam luere deberet. Sed quum violentia atque audacia omnia esse turbata, et causam ipsam desperatam et deperditam intellexisset, undique omnia quamvis a re et causa alienissima argumenta erant colligenda, quibus, si modo fieri posset, Caecina causa deterior, Aebutii melior redderetur. Eiusmodi illud quoque est, quod (§. 65.) adversarius iureconsultorum auctoritati non esse obtemperandum contendit, qua in re egregie et facete a Cicerone exagitatur.

Sed iam haec hactenus. Est enim ad alteram huius disputationis partem, quae in specimine artis criticae edendo versabitur, transeundum; qua in re nonnullis mihi licuit uti subsidiis, quibus vel novissimus, isque praestantissimus huius orationis editor, J. C. Orellius etiamtum erat destitutus. Nam anno post quam id operum Tullianorum volumen, quo haec oratio continetur, in lucem emisit, Eduardus Wunderus, vir doctissimus et de Ciceronis scriptis emendandis atque perpoliendis optime meritus, accuratam praestantissimi codicis Erfurtensis collationem divulgavit, ex quo superioris aevi editores hic tantum et illic scripturae diversitatem enotaverant. Praeterea mihi ad manus est exactissima duorum codicum Vindobonensium collatio, quam in meum usum instituit, atque mecum communicavit D. A. Michnay, Pannonius, iuvenis mihi amicissimus et in codicibus tractandis optime versatus. Atque is quidem de his codicibus ita ad me scripsit:

„Liber Ms. bibliothecae Caesareae Vindobonensis (latin. philolog. Nr. XVIII.) est membranaceus, formis maximis, eleganter exaratus et bene conservatus, litteris minusculis, sicuti ceteri, qui hanc orationem continent, scriptus. Eichenfeldius, bibliothecae custos, eum saeculo XV. scriptum esse existimat. Erat olim Sambuci Pannonii. Continet autem paginis 249 has Ciceronis orationes: pro Roscio Amerino, pro Milone, pro lege Manilia, pro Archia poeta, pro Marcello, pro Ligario, C. Crispi Sallustii suppositam in Ciceronem, M. T. Ciceronis subditivam in Sallustium, pro Plancio, pro Sulla, ad equites Romanos pridie quam iret in exilium, ad Senatum post reditum, pro Caelio, pro Balbo, ad Quirites post reditum, pro Deiotaro, pro Flacco, pro Quinctio, pro Caecina, pro Cluentio, in Vatinium, de haruspicum responsis, de provinciis consularibus, in Catilinam quatuor, pro Sextio, pro domo sua. — Alter quoque codex est membranaceus formis maximis, elegantissime scriptus et optime conservatus. Aetas eius colligi potest ex his, quae pagina tertia scripta leguntur: Ferdinando Aragonio Regi Italico, pacis et militiae ductori semper invicto, aeterno Musarum splendori, unico iustitiae cultori, Principi optumo. — Cynicu escripsit. (sic.) Est igitur saeculi XV. extremi, nisi equidem fallor. Anno 1564 Jo. Sambucus Pannonius eam donavit Imperatori Maximiliano, quod in prima pagina inscriptum est. Continet autem paginis 362 has Ciceronis orationes: pro lege Manilia, pro Milone, pro Plancio, pro Sulla, de haruspicum responsis, pro Murena, pro Roscio Amerino, pro Balbo, pro Sextio, pro domo sua, pro Quinctio, pro Flacco, pro Cluentio, pro Fonteio, pro Caecina, pro Rabirio Postumo, pro C. Rabirio perduellionis reo, de lege agraria tres, in Pisonem, in Catilinam quatuor, Cr. Sallustii in Ciceronem, M. T. Ciceronis in Sallustium, pro Archia poeta, in Vatinium, ad equites pridie quam iret in exilium, ad Quirites post reditum, ad Senatum, pro Caelio, de provinciis consularibus, pro Deictaro, pro Marcello, Verrinas et Philippicas omnes."

Utriusque codicis scripturae saepissime cum codice Erfurtensi congruunt, ita ut ex eodem fonte fluxisse veri sit simillimum; nam haec scripturae congruentia non solum ibi reperitur, ubi alii quoque codices eandum exhibent, sed ibi etiam, ubi unus Erfurtensis a ceteris omnibus diversam habet scripturam, eamque interdum aperte mendosam. Cuius generis ex multis, quae transcribere possum, haec tantum exempla ponam:

Cap. XXIV. §. 68. Orell. non hoc, Erf. Vindobb. A. B.: nec hoc.
„ iuri civili. Erf. Vindob. A.: iuris civilis.
„ iudicari. Erf. Vind. B.: iudicare.
„ iudicari. Erf. Vind. A. B.: iudicare.
„ non potius. Erf. Vindd. A. B.: potius.
„ si ut. Erf. Vindd. A. B.: sic ut.

Cap. XXVII. §. 76—77. loco corruptissimo: „Non restituis seqq. tres illi codices plane inter se consentiunt; sic Cap. XXXI. §. 90." Nisi indubium esse etiam posse concedis. Cum, qui non possideat, negas deiici posse.

Cap. XXXIII. §. 95. Orell.: querar; Erf. Vindobb.: rare.

Cap. XXXIV. §. 99. Orell.: mancinum; Erf. Vindobb.: mancipi.

Neque tamen codices Vindobonenses Erfurtensem auctoritate aequiparant; multo enim sunt negligentius exarati et properantius scripti, et satis multa inveniuntur indicia, quae nimiam librarii festinationem et oscitantem socordiam produnt; nam saepissime verba sunt omissa, ab una linea ad alteram aberratum, calami errore multum est peccatum. — Praeterea extat in bibliotheca Caesarea Vindobonensi tertius codex, qui hanc orationem continet, sed negligentissime exaratus et multis mendis inquinatus, ita ut nihil inde subsidii ad orationem emendandam capi possit. Est ille chartaceus, ex libris Bonaventurae Galli Silesii. *)

His igitur novis subsidiis instructus de nonnullis locis emendandis iam agam. Ac primum quidem de eo loco, qui legitur cap. III. §. 7. „Qui igitur convenit, quae „causa fuerit ad constituendum iudicium, eandem moram esse ad „iudicandum? Si quis, quod spopondit, qua in re VERBO SE UNO „OBLIGAVIT, id non facit, maturo iudicio sine ulla religione IUDICIS „condemnatur: qui per tutelam, aut societatem, aut rem mandatam, „aut fiduciae rationem fraudavit quempiam, in eo quo delictum maius „est, eo poena est tardior. — „Est enim turpe iudicium." — Ex FACTO „QUIDEM TURPI. Videte igitur, quam inique accidat, quia res indigna „sit, ideo turpem existimationem sequi; quia turpis existimatio se„quatur, ideo rem indignam non VINDICARI. Ac si quis mihi hoc iudex „recuperatorve dicat: Potuisti enim LEVIORE actione confligere: potuisti „ad tuum ius faciliore et commodiore iudicio pervenire; quare aut muta „actionem, aut noli mihi instare, ut iudicem: tamen seqq."

Sic, uti transscripsimus, haec verba constituit Orellius, cui tamen non in omnibus rebus esse assentiendum existimo. Etenim verborum collocatio, quae in ceteris omnibus, quod sciamus, codicibus reperitur: qua in re verbo se uno obligavit, quamquam per se non est improbanda, tamen ea, quam omnium codicum optimus palimpsestus Taurinensis exhibet: verbo se obligavit uno, ut elegantior, in verborum ordinem reponi debebat, quod recte nuper intellexit Reinholdus Klotzius, vir sagacissimus, in horreo philolog. novo Vol. II. pag. 54; cui tamen in eo non possum adstipulari, quod particulam si in eodem codice P. T. repetitam recipiendam statuit. Nam quae ad suam sententiam comprobandam affert exempla, unum ex nostra oratione §. 58, alterum ex Livii historiarum libro II, 19, 9, nihil prorsus ad illam collocationem confirmandam valent, quoniam apud Ciceronem post parenthesim, quae totum orationis filum interrumpit, particula illa, ut solet fieri, repetitur **), apud Livium propter enuntiationem relativam paullo longiorem denuo inseritur, id quod post tam brevem et simplicem enuntiationem, qualis hoc loco est, nec fieri assolet, et plane est supervacaneum. — Deinde cod. Erf. consentit cum Vindob. B., in quibus errore calami legitur iudiciis pro iudicis, quod recte Vindob. A. exhibet. — Tum praeter P. T. omnes noti codices, cui tres accedunt Vindobb., habent: „Et facto quidem turpe," quam scripturam damnans Orellius ex uno P. T. recepit: „Ex facto quidem turpi." At vero quum particularum et quidem is peculiaris sit usus, ut tum usurpentur, quum quis ea, quae adversarius dixit, concedat quidem, sed ita tantum, ut ea accuratius definiat, novumque quid addat, et obiectionem adversarii in

*) Ex hoc codice amicus doctissimus quinque tantum capitum varias scripturas enotavit.

**) Assentimur enim Klotzio, qui ex codd. Erf. Oxx. 5. scribendum censet: „Etiam si (ut iam longius a verbo recedamus, ab aequitate ne tantulum quidem) si tuus servus nullus fuerit, et omnes alieni ac mercenarii." Et pro sed habent codd. Eof. Vindobb. A. B. Cf. Cicer. Off. III, 6, 32: „Nulla nobis societas cum tyrannis, et potius summa distractio est." Ubi vide Heusing. et Beier. coll. Brem. ad Corn. Nep. Pausan. III, 7. Goer. ad Cic. Legg. II, 21, 53. ad Fin. I, 16, 50. pag. 71. II, 9, 27. pag. 161. Matth. ad Rosc. Am. 4, 10.

suam rem trahat, (cf. Beier. ad Cic. Lael. 21, 79. p. 122. Lindem. ad Plaut. Mil. glor. II, 2, 106. Goer. ad Acad. II, 16, 50. 17, 53. 19, 61. Wunder. ad Planc. p. 406.) particula et nullo modo omitti potest. Est enim hoc loco sermocinatio elegantissima, in qua adversarius sic loqui fingitur: Poena est in hoc iudicio tardior, quia turpe est iudicium;" (i. e. quia existimationem laedit, si condemnatur reus). „Est vero, inquit Cicero, turpe iudicium, et facto quidem turpe" (i. e. quia turpiter fecit Aebutius, turpe est de eius facto iudicium, eiusque existimationem laedit.) — Quamobrem aut vulgaris scriptura est retinenda, aut praepositio ex, quam exhibet P. T., in et mutanda (quae vocabulorum confusio haud rara est. Verr. I, 11, 32) aut et scripturae codicis P. T. addendum: „Et ex facto quidem turpi." subaudi: turpe est iudicium. Turpitudo autem huius iudicii in eo erat posita, quod vis, quam armatis hominibus fecerat Aebutius adversus homines inermes suumque ius persequentes, turpis erat atque infamabat; nam interdictum de vi armata per se non infamabat, ut testatur Ulpianus Digg. 43, 16, l. 13. „Neque unde vi, neque aliud interdictum famosum est." Etenim quum interdicta ex solis sponsionibus vim caperent, quae ad pecuniam tantum spectabant, non poterant infamare, ut nec alia stricti iuris actio ex contractu orta. Cf. Huschk. ad orat. pro Tullio p. 104. Quod deinde Orellius ex codd. P. T. Erf. aliisque vindicari pro vulgata scriptura iudicari post Schuetzuim in verborum ordinem reposuit, firmant tres codd. Vindobb., qui tamen paullo ante „maturissime iudicanda est" habent, ubi ex codd. P. T. et Erf. vindicanda bene restituit Orellius. De forma superlativi maturrime, quae in uno codice Oxon. invenitur, sic veteres praecipiunt grammatici: Sosipater Charisius p. 89. ed. Putsch. „Invenimus „tamen etiam apud auctores maturrime adverbialiter, quum debeat maturissime." Priscian. lib. III, p. 656. ed. Putsch. p. 116. ed. Krehl. „Excipitur etiam maturrimus, „cuius cum positivus sit maturus, tamen quasi a nominativo matur, qui nunc in usu non „est, nascatur, in er desinentium regulam servavit, id est, in rimus terminatur. Invenitur „tamen etiam maturissimus secundum analogiam in us terminantium. Cicero ad „Herennium in quinto: (IV, 17, 25.) Quibus virtutibus omnem tueri vitam „possint, eas in aetate maturissima velint comparare." Praeterea invenitur haec superlativi forma maturrime semel tantum apud Ciceronem de Orat. III, §. 74. coll. Tacit. Ann. I, 63. XII, 65. XV, 74. Caes. B. G. I, 33. M. Cato duobus locis ap. Sosip. Charis. et Sallust. ap. eundem p. 184. Aurel. Vict. Vit. Caes. 24, 2. — Similiter statim post Ac si ex cod. P. T., quocum congruit Erfurtensis, bene in verborum continuationem recepit Orellius; tres Vindobb. At si exhibent. Sed quod §. 8. „LEVIORE actione" et §. 9. „LEVIOREM actionem" edidit, in eo non possum non dissentire a viro doctissimo, quamquam de hac scripturae diversitate paullo est defficilius certum facere iudicium, tum propter frequentem adiectivorum lenis et levis commutationem *), tum propter exiguam notionum differentiam, quarum utraque multis locis pariter apta est et accommodata. Quamobrem, ut via et ordine nostra procedat argumentatio, primum, quae sit codicum scriptura, dicendum est. Ac priore quidem loco non satis constat, utra scriptura codicum fide magis nitatur, sed altero in plurimis codd. P. T. Erf. Palatt. codd. Verburgii, Pariss. Lallemandi et quinque Oxx. leniorem scriptum est, in nostris codd. Vindobb. leviore et leviorem. Utrobique autem, quin eadem recipienda sit scriptura, non potest esse dubium, quoniam sententia plane est eadem. Jam vero quum lenia proprie ea dicantur, quae mollia sunt et nullam habent asperitatem; (Cic. Fin. II, 12, 36. „Sensus iudicat dulce, amarum; lene, asperum." Nat. D. II, 58. Terent. Heaut. III, 1, 38.) deinde mitia, quae omni vehementia et acritate carent; (Plin. XXVIII, 4, 14. „Vehemens fricatio spissat, lenis mollit. Caes. 2, 22." Lenes sunt sorbitio, pulticula seqq., acria sunt omnia nimis austera, acida, salsa seqq.) tum, quae a severitate et crudelitate sunt aliena; (Cic. Cat. II, 4. „Non est iam lenitati locus: severitatem res ipsa flagitat.") levia vero ea, quae pondere carent, quae nullius sunt momenti,

*) Cf. Spalding. ad Quintil. X, 1, 121. XI, 3, 103. Intpp. ad Curt. IX, 9, 8. Burm. ad Virg. Aen. II, 682. ad Quintil. Declam. I, p. 8. XIX, p. 371. Intpp. ad Cit. Nat. II, 57, 143. ad orat. p. Sull. 831. Goer. ad Fin. p. 178. Moeb. ad Caes. B. G. II, 8. Tschucke ad Eutrop. VII, 20.

exigua, parva: perspiciuum est, levem actionem, leve iudicium illud dici, in quo res iudicantur, quae non magni sunt momenti, peccata minora, rerum privatarum controversiae; lenitas vero iudicii non ad res refertur, quae in iudicium veniunt, sed ad genus iudicii et ipsam actionis, quam quis eligit, formam et naturam. Licebat enim saepe apud Romanos eadem de re diversis actionibus cum adversario contendere, aut asperiore aut leniore; velut si quis, sicuti Caecina, vi armatis hominibus de fundo deiectus esset, cum adversario vel publico vel privato iudicio contendere poterat; illa erat vehementior et periculosior actio, haec lenior et remissior. Caecina autem leniore usus erat, quoniam de recuperanda tantum possessione privato iudicio cum Aebutio agebat, quum de vi eum in ius vocare posset. Qua re quum iam satis perspicue, ut opinor, appareat, utra scriptura sit praeferenda, tum lenitatis vocabulum usu Ciceronis apprime firmatur, quod ex his exemplis intelligi potest. Orat. pro Cael. §. 7. „Tecum, Atratine, agam lenius." Ibid. §. 33. „Sed tamen ex ipsa quaeram prius, utrum me secum severe et graviter, et prisce agere malit, an remisse ac leniter et urbane." Philipp V, §. 34. „Sin autem lenius agetis, tamen eadem, sed fortasse serius decernetis." Atque Garatonius vere iam intellexerat, verba ea, quae paullo post leguntur „in eo potestis atrocitatem nostram reprehendere?" quam maxime favere scripturae leniore actione; quamquam nihil mutandum existimabat, quoniam §. 6. levius iudicium commemoratum esset. At vero ibi sua significatione dictum est leve iudicium, quia iudicium controversiarum distrahendarum intelligitur, in quo res leviores iudicantur, et persaepe disceptator domesticus rem dirimit; alterum illud maleficiorum puniendorum vehementius est, quia ipsa maleficia, de quibus iudicium est, graviora sunt. Neque denique scripturam ab Orellio receptam exemplo ex oratione pro Rosc. Comoed. §. 25. allato defendere licet, quia ibi grave quidem iudicium commemoratur, sed nulla fit levioris oppositio, neque si ea ibi esset oppositio, quidquam inde conficeretur argumenti, quum vocabuli gravis tam lata sit significatio, ut et levis et lenis opponi possit. Cf. Cic. ad Fam. XV, 15. „Lenissimis et amantissimis verbis utens re graviter accusaris." pro Mur. §. 6. „Ego autem has partes lenitatis et misericordiae — semper egi libenter, illam vero gravitatis severitatisque personam non appetivi." pro Rosc. Comoed. §. 6. „Quod apud omnes leve et infirmum est, id apud iudicem grave et sanctum esse ducetur?" Adde pro Quint. §. 57. 75. 76. pro Mur. §. 11. 38. pro Rosc. Com. §. 49. Postremo ne illud quidem negligendum est, lenis multo saepius a librariis mutari in levis, quam vice versa levis in lenis, ut testatur Goerenzius ad Cic. Fin. p. 178, id quod multis exemplis comprobari potest. Utrumque vocabulum iunctum reperitur ap. Cit. Off. I, 24, 83. „Medici leviter aegrotantes leniter curant," ubi nonnulli libri MSS. et impressi leviter bis perperam exhibent. Cf. Heusing. ad. h. l. Quare non prorsus damnaverim Tusc. III, §. 67. scripturam inde a Gebhardo repudiatam: „Defatigatio igitur miseriarum aegritudines quum faciat leviores." Ad Herenn. I, 8, 13. (§. 22. ed. Lind.) „Illud genus orationis debet habere gravitatem, lenitatem seqq." quam scripturam suo iure tuetur Orellius gemino loco de Inv. I, §. 27, ubi levitate ex uno codice Leid. non debebat recipere Schuetzius; simulque hoc loco notanda est Lindemanni inconstantia ac levitas, qui, quum Rhett. ad Herenn. I, 8, 22. levitatem cum Schuetzio aliisque editoribus retinuisset atque in notis probasset, hoc gemino loco libro I de Inventione lenitate scripsit, eamque scripturam illo loco allato ita defendit, ut ibi lenitatem, quod antea improbaverat, legendum censeret. Orat. §. 53. „Elaborant alii in lenitate et aequabilitate." ubi in ed. Nor. levitate perperam scriptum est; coll. §. 110. ubi lêvitate legendum cum Meiero et Mosero, quod etiam Orat. III, §. 201. recipiendum est ex cod. Quintil. Turic. (IX, 1, 27.) coll. Orat. III, §. 171. „Collocationis est componere ve ba sic, ut neve asper eorum concursus neve hiulcus sit, sed quodammodo coagmentatus et lêvis." *) Hunc enim locum spectat Cicero §. 201. coll. §. 199. Cf. de opt. gen. oratt. §. 5., ubi ex cod. Ox. Schuetzius et Orellius laevitatem receperunt. — Orat. II,

*) Orellius in scribendo vocabulo lévis in constans est. Ibid. cf. lévia. Nat. D. I, §. 66. léve. Ibid. II, §. 146. laevitatem l. l.

§. 145. „Arrisit hic Crassus leniter“ (al. leviter.) coll. Fin. I, §. 26. Rep. VI, §. 12. „leniter arridens“ sine Varr. Sic. Orat. §. 40. „leniter et erudite repugnante te“ bene e codd. scripserunt Schuetzius et Orellius.

Cap. V, §. 14. „Quam personam iam e QUOTIDIANA VITA COGNOSCITIS, „recuperatores, mulierum assentatoris, cognitoris viduarum, defensoris „nimium litigiosi, CONCITI AD RIXAM, inepti ac stulti inter viros, inter „mulieres periti iuris et callidi: hanc imponite Aebutio.“

Quum antea in omnibus editionibus legeretur: „ex quotidiana cognoscitis vita,“ — quam verborum collocationem Vindobb. quoque codices tres exhibent, nisi quod tertius habet „ex cottidiana cognoscatis vita.“ — Orellius ex optimo cod. P. T., cui assentitur Erfurtensis, eam quam supra proposuimus verborum collocationem, iure recepit, qui ea tamen in re nimium progressus est, quod quotidianam vitam mimi alicuius deperditi inscriptionem esse putat, in quo persona Aebutio similis primarias egerit partes. Nulla est enim idonea ratio, cur eiusmodi mimum umquam extitisse, aut, si extiterit, Ciceronem eum significasse statuamus; nam si in hanc opinionem eo inductus est vir doctissimus, quod orator dicit: „hanc personam imponite Aebutio,“ levissimum hoc est, aut nullum plane huius coniecturae firmamentum. Etenim quamquam personae vocabulum proprie de facie ficta histrionis atque de partibus, quas histrio in scena agit, dicitur, tamen saepissime nihil aliud nisi munus ac negotium aut mores alicuius (Matth. ad Sull. §. 68.) significat, cuius generis exempla plurima attulit Nizolius s. v., quorum ea tantum transscribimus, in quibus verbo imponendi, sicuti hoc loco, iunctum est: p. Sulla §. 8. „Hanc mihi tu si propter res meas gestas imponis in omni vita mea perso- „nam, Torquate, vehementer erras.“ Ibid. „Denique istam ipsam personam vehementem „et acrem, quam mihi tum tempus et respublica imposuit, iam voluntas et ipsa natura „detraxit.“ Sic. p. Mur. III, 6. de leg. agrar. II, 18, 49. Off. I, 28, 97. Verr. II, 17, 43. Neque in verbis, „e quotidiana vita“ quicquam inest, quod inscriptionis coniecturam confirmet; cf. orat. in Pis. XXVI, 64.“ Num etiam in hac quotidiana — vita splendorem tuum — cuique es infimo ac desperatissimo antelaturus?“ — Nec denique in sententia ipsa aut in verbis quicquam est, quod fabulae cuiusdam personam esse significatam indicet; immo vero multo aptius et ad rem accommodatius loquitur orator, si Aebutium non fictae personae similem esse dicit, sed unum ex eorum numero, qui in vita quotidiana usuque communi multi inveniantur; atque tales homines, qui mulieribus calliditate sua imponerent, Romae quin illa aetate fuerint, quis dubitat? — Quod denique Orellius coniecturam a Weiskio propositam et in verborum ordinem receptam cognovistis vel potius cognostis, probat, errare mihi videtur; nam haec coniectura, quamquam propter litterarum rationem est facillima, tamen nequaquam necessaria. Nam alibi quoque praesens huius verbi tempus apud Ciceronem reperitur, ubi facile perfectum quis requisiverit. At vero hoc interest inter praesens et perfectum, quod illud cognoscendi actionem inceptam sed nondum finitam, hoc eam finitam significat. Cic. Verr. III, §. 228. „Arationes tota „Sicilia desertas atque a dominis relictas esse cognoscitis“ ubi Zumptius Orellii coniecturam cognostis contra omnes codices in verborum ordinem recepit. Verr. IV, §. 144. „A quo cognoscitis nobilissimos homines atque innocentissimos securi esse percussos.“ ubi Manutius coniecit cognostis, quam coniecturam duobus codd. Guelff. firmatam Zumptius praeter necessitatem recepit. p. Font. §. 4. „Vos, qui in re non interfuistis, causam una „cum populo Romano cognoscitis.“ p. leg. Man. §. 51. „Tametsi cognoscitis „auctoritates contrarias fortissimorum virorum, tamen omissis auctoritatibus ipsa re et „ratione exquirere possumus veritatem.“ Ibid. §. 68. „Est Cn. Lentulus, in quo omnes „summam gravitatem esse cognoscitis.“ Ubi Orell. et Matth. ex cod. Erf. cognovistis scripserunt. Ad Herenn. IV, 26, 35. „Mea in istum beneficia cognoscitis.“ Orellius coniecit cognostis, qua coniectura non esse opus vere intellexit Lindemannus. Catil. III, §. 10. „Tum ostendi tabulas Lentulo, et quaesivi, „cognosceretne signum. Annuit.“ Ex quibus exemplis quum sit perspicuum, hoc quoque, de quo agimus loco, praesens tempus esse retinendum, concidit etiam Orellii illa de mimo suspicio; etenim si Cicero fabulam aliquam spectasset, ex qua iudices personam illam, quam describit, novissent,

necessario cognostis erat dicendum, quoniam iudices mimo in theatro spectato notam habebant illam personam, actioque cognoscendi erat perfecta et absoluta; sed in vita quotidiana durat haec cognoscendi actio, quoniam nova identidem occurrunt eiusmodi hominum exempla. — Quae denique scriptura in Cod. P. T. legitur, contriti ad Regiam, eam Peyronio duce Orellius recipere debebat, neque eam miram dixisset, si eandem in altero codice optimo Erfurtensi, reperiri compertum habuisset. ad Regiam cum sex Oxx. mei quoque tres Vindobb. habent, ita ut iam nulla possit oriri dubitatio, quin vera sit et integra haec scriptura; conciti vero, quod praeter duos illos codices optimos omnes adhuc noti, etiam Vindobb., praebent, aperte a librarii manu emendatrice ortum est, quum hoc vocabulum neque apud Ciceronem usquam inveniatur, neque verbis ad Regiam iunctum idoneum habeat explicatum. Attamen illud mihi non probatur, quod Peyronius contritum ad Regiam otiosum quemque hominem appellari existimat. *) Nam quum ipsum conterendi verbum ad hominem otiosum describendum non satis sit aptum, quia, quod conteritur, multo labore et usu ac vi externa consumitur, debilitatur, terendo quasi in minutias redigitur, — idquod non in otiosum, sed potius in laboriosum et semper aliquid agentem ac molientem quadrat hominem, tum ipsa otiosi hominis commemoratio ad Aebutii personam disignandam non est accommodata. Contritum enim praemium Cicero pro Sext. §. 86. appellat id, quod contemptum et longo usu aut abusu nullius fere pretii est; sic Fin. II, §. 5. Off. III, §. 77. „contritum vetustate proverbium." (Germani: abgenutzt.) Orat. I, §. 137. „communia et contrita praecepta." et quamquam Lael. §. 104. „otiosum tempus conteri" dicitur, tamen otiosus homo vix dici potest conteri ad Regiam. Litigiosum vero hominem et in controversiis ac litibus versantem describi oportere ex toto sententiarum tenore intelligitur; atque quum Cicero (Orat. I, §. 249. „Quum in causis et negotiis et in foro conterimur.) eos conteri dicat, qui causis agendis, controversiis suscipiendis, negotiis gerendis implicati sint, contriti ad Regiam ii fortasse appellabantur, qui controversiis ac litibus, praesertim minoribus et humiliorum hominum, operam dabant, atque ob hanc rem ad Regiam, nescio quam, convenire solebant.

Cap. XX. §. 56. „QUID IGITUR? isti homines Latine non loquuntur? „Immo vero tantum loquuntur, quantum satis est ad intelligendam „voluntatem: quum sibi hoc proposuerint, ut me restituas, sive TUMET „deieceris, sive tuorum quispiam, sive servorum, sive amicorum, ut „servos non numero distinguant, sed appellent uno familiae nomine."

In scriptura huius loci constituenda ita ab Orellio dissentior, ut primum Quid ergo deinde tu me scribendum existimem. Nam nulla plane excogitari potest idonea, ratio, cur ex uno codice Oxon. et edd. Venet, 1483 (ed. Venet. 1480 Quid ergo? praebet.) et Junt. Quid igitur? recipiatur; etenim codicum auctoritate levissima, vel nulla fere, nititur illa scriptura, quum codices Oxx. inter pessimos numerandi sint, et quum aliis multis modis, tum commutandis eiusdem significationis vocabulis in deterius abeant. Commutantur autem particulae igitur et ergo propter compendiorum scribendi simili-
i o
tudinem saepissime, g. g. (cf. Goerenz. ad Fin. p. 94.) neque quidquam est in ea interrogandi forma, quam omnes fere codices, Erfurtensis quoque et Vindobb. A. B. exhibent, in quo offendi possit. Similiter enim §. 50. dictum est: „Quid ergo?" §. 39. „Quid ergo? hoc quam habet vim sqq." Egregie horum verborum usum explicuit Beierus ad Off. III, 20, 81. — Quod deinde Orellius tumet ex editione Venet. 1483. (Venet. 1480. habet me tu.) in suam transtulit, haec forma a Latinorum dicendi consuetudine plane abhorret, ut testis est locupletissimus Priscianus XII, 5, 23. „Primae quidem personae omnibus adiungitur „casibus met, ut egomet, meimet, mihimet, memet; secundae vero personae obliquis „solis, tuimet, tibimet. Nominativo autem ideo non additur, ne dubitationem faciat, cum „etiam verbum intelligi possit, si dicamus tumet." Adde Donat ad Terent. Adelph. III, 1, 3. ad Andr. IV. 4, 6. Cod Vindob. A. „ut, sive me tu deieceris" Vindob. 13. „ut, sive

*) Probat Peyronii sententiam Klotzius horreo novo Vol. II, p. 55.

tumet deieceris." Tu me vero, non me tu, ideo scribendum arbitror, quod oppositi[illegible] ratio hanc verborum collocationem requirit, quoniam sequitur: sive tuorum quispi[illegible] ita ut pronomen tu illic quoque anteponendum esse appareat. Cf. §. 58. „Sive tuus [illegible] libertus deiecerit." — Similiter erravit Orellius §. 99, ubi iisce in verborum or[illegible] retinuit, quum hisce ex editione Junt. necessario sit recipiendum. Nam illa forma ii[illegible] nusquam neque apud Ciceronem nec apud bonos alios scriptores reperitur, quia inconve[illegible] piens est pronomini is, quod simpliciter demonstrantis est, voculam illam, quae vi[illegible] pronominis intendit, addere. Neque Priscianus XII, 5, 21. 25. 26. XIII, 3, 9. 10. pronomen is inter ea, quibus ce additur, commemorat.
